



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis  
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz  
Toletani è Societate Iesv**

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

§. 2. De Abstinentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)



## De Abſtinentia. §. II.

**A**bſtinentia eſt virtus qua voluptatem, in vſu ciborū ſitam, refranamus, & debitū modū in eorū ſumptione conſtituimus. De qua Baſilius ſub alio nomine ait: Continentiam autem appellamus, non ſi quis ſe à cibo penitus abſtineat; quando hoc violentā quaedam vita diſſolutio eſt: ſed eam, quam tollēda contumacia corporis cauſa, pietatis ergo, de induſtria ſequimur rerum voluptatem titillantium abſtinētiam. Eſt itaque duplex huius virtutis pars; altera, quæ in alimentis neceſſaria ſumit; altera, quæ ſine notando ſalutis detrimento pro virtutis amore ex neceſſario alimēto aliquid demit.

Incitamenta ad Abſtinentiā ſunt:  
I. Chriſtus Dominus abſtinentiam perpetuò coluit, parciffimis cibis v-  
tens, & quadraginta diebus & qua-  
draginta noctibus ieiunauit, & abſti-  
nentiæ præceptum tulit, dicens: Ne  
grauentur corda veſtra in crapula &  
ebrietate. Sāctos etiam omnes ad ab-  
ſtinentiam ſectandam occultis men-  
tis inſtinctibus hortatus eſt: qui dum  
cibo-

Baſil. in  
reg. 16. fu-  
ſus diſpu.

Mat. 4 2.  
Luc 21.  
34.



ciborum corporalium delicias contempserunt; se mirificè ad delicias spiritus præpararunt.

II. Abſtinentia orationi copulata, multa & magna dona à benignitate Domini ſolet impetrare, vt paſſim ex diuinis Scripturis conſtat. Dumq; corpori ſuperflua denegamus, ad orationis ſtudium, atque adeò ad cœleſtia dona ſuſcipienda, capaciorem efficiamur. Egregiè namque dixit Cyprianus: *Sed & de victu parco; & ſobrio potu, diuinis indignationibus admone- mur, ſcilicet ne vigore cœleſti ſublime iam pectus illecebra ſecularis eneruet, vel ne largioribus epulis mens grauata, minus ad preces orationis euigilet.*

Cyprian.  
lib. 4.  
Epiſt. 4.

III. Magni momenti eſt ad tenendam abſtinentiam illa conſideratio, quam Laurentius Iuſtinianus late proſequitur: *Quanti ſcilicet antea diuites; & poſtmodum ad mendicitatem delapſi fame tabeſcunt: quanti egroti vtriuſque ſexus ex defectu neceſſarij alimentum pereunt: quanti innocentes & conſpicua vite viri in graui, aut extrema neceſſitate degunt, in quorum con-*

Iuſt. lib.  
de diſci-  
plin mo-  
naſt. c. 20.



*spectu, ciborum superfluitate & lauitia distendi, vix potest à nota crudelitatis excusari.*

— Actiones Abſtinentiæ ſunt: I. Cibos ab Eccleſia vetitos, pro tempore, quo prohibentur, non ſumere.

II. Ieiunia Eccleſiaſtica exactè ſeruare, ex propria regula, aut inſtituto, ordinata cuſtodire: & ex conſilio aliqua non præcepta ſuſcipere.

III. Hora conſueta, ſecundùm morem regionis, aut congregationis, in qua viuimus, manducare,

IX. Cibos lautiores ac pretioſiores, quã neceſſitas & ſtatus ferat, auerſari.

V. Communes cibos, non exquisitè præparatos, ſed vtcumque oblatos, libenter comedere.

VI. Quantitatem ciborum, ſaluti corporis neceſſariam, & ſaluti animæ non officientem, tantùm accipere.

VII. Ante comestionem, cogitationes de cibis penitus abſcindere, & in ipſa comestione æſtum & nimiam auiditatem cohibere.

VIII. Ex quantitate, & qualitate, & numero eſculentorum, ea omnia  
sub



subtrahere, quæ salutis carnis non nocent, & mentis puritati deseruiant. 2. Pet. 1. 6.  
 Hoc enim est, quod inquit Petrus:  
*Ministrate in scientia abstinentiam:* ita scilicet abstinentiam custodite, vt mensuram discretionis minimè posthabeatis.

Postulatio Abstinentiæ: Domine Iesu Christe, qui cum sis Deus noster, cibus etiam noster in sacrosancto Eucharistiæ mysterio fieri dignatus es: accende in nobis tui ardentissimum desiderium, & carnis viles concupiscentias enerua, vt eam frugaliter recipientes, & vt tabernaculum tuum virtute abstinentiæ mundantes, per puritatem eius, qua à vitijs abstinet, & per munditiam mentis, qua corporis delicias spernit, ad frequentiore panis cœlestis receptionem disponamur. Amen.

De Sobrietate. §. III.

Sobrietas est virtus, qua affectum & usum potionis præcipuè inebriare valentis, moderamur. Quam virtutem Theologi, qui semper pressè loquuntur,

tur.